



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 138/18

NOTIFICATIO de memoria Beatae Mariae Virginis Ecclesiae Matris

Post inscriptionem in Calendarium Romanum memoriae obligatoriae B.M.V. Ecclesiae Matris, iam hoc anno feria secunda post Pentecosten ab omnibus celebrandae, opportunum visum est indicationes quae sequuntur praebere.

Rubrica quae in Missali Romano legitur post formularia Missae Pentecostes: «Ubi feria II vel etiam III post Pentecosten sunt dies quibus fideles debent vel solent Missam frequentare, resumitur potest Missa dominicae Pentecostes, vel dici potest Missa de Spiritu Sancto» (*Missale Romanum*, p. 448), adhuc viget quia non derogat praecedentiae inter dies liturgicos quae, quoad eorum celebrationem, unice regitur a *Tabula dierum liturgicorum* (cf. *Normae universales de Anno liturgico et de Calendario*, n. 59). Simili modo praecedentia ordinatur a normis de Missis votivis: «Missae votivae per se prohibentur in diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria Adventus usque ad diem 16 decembris, feria temporis Nativitatis a die 2 ianuarii, et temporis paschalis post octavam Paschatis. Si tamen utilitas pastoralis id postulet, in celebratione cum populo adhiberi potest Missa votiva huic utilitati respondens, de iudicio rectoris ecclesiae vel ipsius sacerdotis celebrantis» (*Missale Romanum*, p. 1156; cf. *Institutio Generalis Missalis Romani*, n. 376).

Tamen, ceteris paribus, praefenda est memoria obligatoria B.M.V. Ecclesiae Matris, textibus Decreto adnexis, cum Lectionibus indicatis, quae tamquam propriae censendae sunt, quia mysterium Maternitatis spiritualis illustrant. In proxima editione *Ordinis lectionum Missae* n. 572 bis in rubrica expresse indicabitur lectiones esse propriae et ideo, quamvis agatur de memoria, dici debent loco lectionum pro feriis occurrentium (cf. *Ordo lectionum Missae, Praenotanda*, n. 83).

In casu occurrentiae huius memoriae cum alia memoria principia generalia normarum universalium de Anno liturgico et de Calendario (cf. *Tabula dierum liturgicorum*, n. 60) sequenda sunt. Cum autem memoria B.M.V. Ecclesiae Matris sit Pentecoste coniuncta, sicut pariter memoria Immaculati Cordis B.M.V. celebrationi Sacratissimi Cordis Iesu coniuncta est, in casu occurrentiae cum alia memoria alicuius Sancti vel Beati, iuxta liturgicam traditionem praestantiae inter personas, memoria B.M.V. praevalere debet.

Ex Aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 24 mensis martii 2018.

Robertus Card. Sarah

Robertus Card. Sarah
Praefectus

+ *Arturus Roche*
✠ Arturus Roche

Archiepiscopus a Secretis